Toletana Canonicatus super Declaratoria.

Reu. Pater. RElaxandam esse declaratoriam rescribendam omnino speramus, & reiciendam Partis Instantiam super prætensa dubii subscriptione tamquam à Iuris principiis extraneam, ne dicamus calumniosam & omni penitùs fundamento & ratione destitutam, & quidem est decernendam declaratoriam ex rationibus adductis in mea facti, & absque illa nunquam D. Principalis sperare valet sibi persolvi fructus sui Canonicatus propter irrationabilem Illustrissimi Capituli Toletani repugnantiam.

Quo vero ad reiectionem Instantiæ Partis super prætensa dubii subscriptione, non videtur posse considerari aliqua difficultas. Nam dubium pro cuius subscriptione instat Pars adversa concernit assertam fructuum nostri Canonicatus liquidationem qui illi debiti sunt post extraditam Domino Principali vigore alterius declaratoriæ expeditæ à Reverendissimo meo Ponente, ut ex decisione ædita 14. Ianuarii 1724. Canonicatus possessionem.

Exceptio autem liquidationis in hoc Iudicio non admittitur nisi prius Reverendissimum Capitulum seù illius Procurator vigore specialis mandati in actis protestationem emittat esse paratum persoluere fructus decursos, & inposterum decurrendos post factam liquidationem, & facto deposito alicuius summæ, cum amplissima obligatione solvendi residuum, & nisi procedat huiusmodi paritio, nunquam potest euitare relaxationem declaratoriæ *Adden. ad Buratt. dec.* 17. *num.* 6. *Rot. dec.* 254. *num.* 8. *par.* 6. & passim, & aduersus idem Capitulum respondit *Rot. coram Rmo Ponente* 14. *Ianuarii* 1724. §. *Minusque quam distribuimus.*

Vltra quod in præsenti exceptio liquidationis nequit retardare relaxationem declaratoriæ nam cum omnes fructus consistant in massa grossa & distributiones, & Reverendissimum Capitulum singulis anuis, & certis, & determinatis diebus persolvat singulis Canonicis suam fructuum portionem, & proinde quemadmodum persolvit omnibus aliis Canonicis, ita quoque fructus persolvere debeat Principali post extraditam, metu declaratoriæ possessionem, & quoties ex libris Capituli, & portionibus fructuum assignatis aliis Canonicis, remanet probata quantiras debita Principali: Hoc casu exceptio liquidationis non retardat relaxtionem declaratoriæ, ut allegatis quampluribus Sacræ Rotæ decisionibus probat præcitata decisio Reuerendissimi Ponentis *d. die* 14. *Ianuarii* 1724. *d.* §. *Minusque ex nostra parte distributa.*

Et

Et ex his fit patentissimum non esse locum subscriptioni prætensi dubii quod concernit fructuum liquidationem à die captæ possessionis usque ad præsens tum quia non præcessit paritio, & depositum, tum quia prætensa liquidatio non est necessaria.

Non obstat, quod non sit locus declaratoriæ cum litteris executorialibus fuisset ex parte Reverendissimi Capituli Toletani paritum, ex quo sententiæ reportatæ à Principali super executionem litteram Apostolicarum, nihil aliud continent, nisi ut Principalis immittatur in possessionem Canonicatus, & illi restituantur fructus pendente lite decursi, & propterea cum Reverendissimum Capitulum Principalem in possessionem immiserit, & fructus pendente lite decursos persolvit, dicitur plenariè obtemperasse litteris exequutorialibus: Nam ut ex lectura litterarum exequutorialium apparet non solum Principali decreta fuit immissio ad Canonicatus possessionem, sed etiam decreta fuit possessio omnium fructuum, reddituum, & emolumentorum quorumcumque ad d. Canonicatum spectanctium, ut ex *Summario principali num. 2. litt. N.* alias enim possessio sine fructuum perceptione esset possessio verbalis, ac de uento, & proindè quoties Capitulum vigore executorialium extradit possessionem, & deindè non soluit Possessori Canonicatus fructus d. Canonicatus, tunc non dicitur litteris exequutorialibus obtemperasse, sed contra illud decernitur declaratoria prout individualibus huius Sacræ Rotæ decisionibus probaui in mea facti §. 7. & concurrit ratio naturalis, nam ad quid deserviret possessio Canonicatus decreta ab hoc supremo Auditorio, si postquam à Capitulo extradita fuit possessio deinde Reverendissimum Capitulum fructus non persolveret: Possessio enim debet esse cum effectu, & fructuum perceptione alias non esset possessio vera, & realis, sed nuda possessio verbalis, & proindè eo ipso, quod ab hoc supremo Tribunali decernitur favore alicuius immissio ad possessionem, dicitur decernere possessio cum effectu, scilicet cum perceptione fructuum debitorum legitimis possessoribus Canonicatuum, & miramur quomodo exaduerso impugnetur hoc principium in Iure absolutissimum, & quomodo prætendi possit fuisse paritum litteris executorialibus cum sola traditione possessionis verbalis sine fructibus & quoque possit Reverendissimum Capitulum denegare fructus Canonico, quem ad possessionem Canonicatus vigore exequutorialium huius supremi Tribunalis admisit.

Multò minùs obstat, quod post traditam possessionem cadit noua inspectio, & noua causa prorsus diuersa à præcedenti, & proinde debeat esse locus disputationi noui dubij. Nam ex prædictis patet responsio; siquidem aut hoc Sacrum Tribunal in litteris Execu-

cuto-

cutorialibus demandauit extradi Principali possessionem verbalem, & de vento, & hoc casu esset noua Causa; Aut in litteris Exequutorialibus hoc Supremum Auditorium demandauit Principali extradi possessionem veram, realem, & cum effectu, & hoc casu possessio vera, realis, & cum effectu debet esse cum fructuum perceptione, itaut fructuum solutio tamquam sequela omnino accessoria dependet à litteris Executorialibus; Quod autem hoc Supremum Tribunal decreuerit fauore Principalis immissionem ad possessionem Canonicatus, veram, realem, & cum fructuum perceptione, liquet ex lectura sententiarum, de quibus in *nostro Summ. principali num. 2. litt. N.* ibi = *Immittendum fore, & esse in veram, realem, actualem, & corporalem possessionem d. Canonicatus, & Præbendæ, eorumque fructuam, prouentuum, reddituum, distributionum, & emolumentorum, quorumcumque, proùt nos immittimus, & pro immisso haberi volumus, & mandamus*. Et proinde Reuerendissimum Capitulum nequit dici obtemperasse litteris Exequutorialibus, mediante extraditione possessionis, nisi etiam illam cum perceptione fructuum extradat, singulis annis fructus, qui possessori debiti sunt persoluendo; Et proinde hoc Sacrum Tribunal semper relaxauit declaratoriam contra Capitulum, quia post traditam Canonicatus possessionem fructus Canonicatus persoluere recusabant, vt ex decisionibus indiuidualibus allegatis in mea Facti §. 7., cum nunquam dici possit paruisse litteris Exequutorialibus, nisi extradita fuerit possessio plenaria, & cum effectu scilicet cum fructuum perceptione, vt expresè in dd. litteris Exequutorialibus, & sententijs continetur; Et proindè non est Causa distincta; Sed Causa super solutione fructuum post extraditam possessionem concernit nudam, & simplicem exequutionem litterarum Exequutorialium, ob quarum non paritionem decernitur declaratoria, proùt semper ex eadem Causa decreta fuit ab hoc Supremo Auditorio.

Nec releuat, quod plures cadant inspectiones super fructibus prætensis à Principali; Nam illi non debentur ex quo cum post terminatam Causam coram Reuerendissimo de Gamaches de mense Iunij 1724. commoratus fuit in Vrbe, & deinde se contulit ad exercendum munus Inquisitoris in Regno Murtiæ de mense Augusti 1725. vtique cum dicto medio tempore non residebat in Vrbe ratione litis neque exercebat munus Inquisitoris in dicto Regno Murtiæ, ideo toto dicto tempore non debeantur fructus. Quandoquidem Principali debiti erant fructus dicti temporis, nam quamuis lis etiam in deuolutiuo terminata fuerit de mense Iulij 1724. Nihilominùs Capitulum non adhuc paruerat litteris Exequutorialibus, & Declaratoriæ, quia paritio facta fuit in Ciuita-

te Toletana die 19. Septembris 1724. *Summ. Partis num.*4. , & die 3. Nouembris eiusdem anni 1724. *eodem Partis Summ. nu.*6. vnde notitia non potuit ad Vrbem deuenire nisi in principio mensis Ianuarij 1725., de quo tempore non poterat D. Principalis iter arripere ad effectum se conferendi ad Regna Hispaniarum tempore hyberno, quo iter tàm per Mare, quàm per Terram est periculosissimum, & per consequens cum statim post aduentum Veris, ab Vrbe discessit, & peruenit ad Regnum Murtiæ in principio Augusti ad exercendum suum officium, vtique fructus dicti temporis principali debentur tamquam legitimè, & ex iusta Causa commoranti in Vrbe pro defensione sui honoris, & litis, vt probaui in mea Facti §. 9.

Vltra quod necessaria erat præsentia Principalis in Vrbe, quia cum tunc commoraretur etiam in Vrbe Canonicus Agens Reuerendissimi Capituli, qui non desistebat nouos intentare recursos pro eternanda causa, erat etiam necessarium, atque iustum, vt Principalis ad remouendos omnes dicti Canonici Agentis instantias in Vrbe commorasset, itaùt statim ac discesserit dictus Canonicus ipse quoque Principalis discessit. Et in omnem casum hoc concernit liquidationem, quæ non amplius valet opponi, ex quo in terminis ad docendum de paritione seruatis vsque de mense Martij anni elapsi Capitulum in actis non fecit paritionem, nec aliquod depositum neque proposuit exceptionem liquidationis, proinde non potest euitare relaxationem declaratoriæ.

Secundo opponitur fructus Principali non deberi, ex quo non emisit fidei professionem, quo casu fructus eidem non debentur ex dispositione *Conc. Trid. sess.*24. *cap.*12. *de reformat.*; Nàm non probat Reuerendissimum Capitulum, quod in dicta exceptione fundatur, Principalem non emisisse fidei professionem; quia illam fuisse emissam in Capitulo à Procuratore specialiter Delegato à D. Principali in actu quo illi extradita fuit Canonicatus possessio, liquet ex *nostro Summ. principali num.*2. *litt. GGGG.* ita vt hæc exceptio est calumniosa, & insubsistens, & directa ad conculcandum D. Principalem sine vllo fundamento.

Præterea obijcitur, quod Principali post possessionem non sint debita certa emolumenta; Sed etiam ista exceptio est friuola, quia Principalis non prætendit emolumenta sibi non debita, sed fructus ratione Canonicatus sibi debitos.

Et denique prætenditur Principali non esse debitas distributiones quotidianas, cum non resideat in Ecclesia. Et pariter ista exceptio est futilis, nulliusque releuantiæ; Quoniam Inquisitores S. Inquisitionis, licèt in Ecclesijs, in quibus habent Dignitates & Canonicatus non resideant, lucrantur distributiones quotidianas, vt probant auctoritates adductæ in mea Facti §. 12.

Su-

Sublatis itaque emendicatis prætextibus ſperamus eſſe decernendum declaratoriam, quoſque Reuerendiſſimum Capitulum pareat litteris Exequutorialibus ſoluendo fructus decurſos poſt captam poſſeſsionem Canonicatus, & emittat ſpecialem in actis obligationem ſoluendi fructus impoſterum decurrendos, proùt iuſtitia, & equitas poſtulat. Vtque Reuerendiſsimum Capitulum Toletanum ediſcat Executorialibus huius Supremi Tribunalis verè, realitèr, & cum effectu obtemperare; & non illarum executionem ſummo cum ſpretu ſub emendicatis prætextibus eludere.

Quarè &c.

Vitus Angelus Caualletti.

R. P. D.

C O R I O

Toletana Canonicatus super Declaratoria.

P R O

Illmo D. Iosepho Fernandez Iubera In-quisitore Regni Murtiæ, ac Canonico S. Ecclesiæ Toletanæ.

C O N T R A

Rmum Capitulum Toletanum.

Responsio.

Typis Zinghi, & Monaldi 1726.